

AD PHILIPPVM II. HISPANIARVM ETC. REGEM CATHOLICVM.

Michaelis vander Hagen Antverpij carmen.

Cæsareas moles, atq; alta palatia Regum
Ne posthac Latium, aut Græcia iactet ouans;
Pyramides, et aquæductus, mira Amphitheatra,
Et Circos veteres Inclyta Roma premat;
Prisca fides sileat vasti Miracula Mundi;
Nam faciunt nostra ad secula, prisca nihil;
Vnus enim Hesperiæ Rex Maximus ille Philippus
Miracla exuperans omnia condit opus;
Non opus; at Molem. qualem neque tota vetustas
Vidit: et hæc ætas non habitura parem.
Nempe Duces olim parti monimenta triumphi
Victi erexerunt ambitione mala;
Atque trophea Dijs posuerunt capta profanis,
Aut operis magni in secla perenne decus;
Relligionis Apostolicæ verum vnicus ille
Defensor, voti Rex memor vsque pij,
Sancti operis dudum æternos molitur honores;
Quo maius nihil hic Maximus Orbis habet.
Is Collegium enim Augustum, et Regale dicauit.
Laurenti, sacrum, tempus in omne, tibi,
Cuj certo numero præsunt Hieronymiani:
O felix Ordo; ô corda sacrata Deo.
Non est hic aliud nisi Magni Sponsa Tonantis;
Maiestate Dei terribilisque locus;
Est vbi Maiestas, et Magnificentia Regis
Prodiga, inexhaustas et bene fundit opes.
Regia sic summi est ibi Principis, atq; supremj
Numinis. ô qualis gloria? quale decus?
Quis gazas? quis splendorem fando explicet omnem?
Angustum ingenium est, linguaq; nostra nimis.
Quis vero Regi par, atque secundus Ibero?
Miraclum Mundi solus et ille facit.
Macte animis; porro tua tanta potentia crescat;
O Heros populi Inuicte Philippe tuj.
Euge autem ô felix Hispania, et euge Madrida;
Quæ nisi tam Magno haud Præside tanta fores.

SCENOGRAPHIA TOTIVS FABRICÆ S. LAVRENTII IN ESCORIALI.